



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE VERBO DEI|| scripto & non scripto,|| QVATVOR LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, 1599

VD16 B 1607

Cap. I. Qui potissimùm defendent vel oppugnauerint non scriptas
traditiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53828](https://nbn-resolving.de/urn/resolver.pl?urn=urn:nbn:de:hbz:466:1-53828)



DE VERBO DEI NON SCRIPTO,

L I B E R Q U A R T V S.

C A P V T P R I M V M.

Qui potissimum defenderint vel oppugnauerint non scriptas traditiones.

DE VERBO DEI SCRIPTO HACTEN^{TI} differuimus; nunc de verbo Dei non scripto breuiter disputare aggrediemur, si prius tam in gratiam studiosorum annotauerimus, quod potissimum hoc nostro seculo de traditionibus scriperint, vel certe quos ipsi legerimus. Nec enim omnes videre nobis licuit.

Igitur scripsit de hoc argumento praeclarè Cardinalis Hosius in 4.lib. aduersus Prolegomena Brentij; item Petrus à Soto in sua defensione aduersus eundem Brentium parte 2.à cap. 50. vsque ad 66. Melchior Canisius lib. 3. de locis Theologicis; Martinus Peresius initio operis sui de traditionibus; Iodocus Tiletanus in Apologia contra Kemnitium pro Concilio Trident. Alphonsus à Castro lib. 1. cap. 5. sui operis contra haereses; & Episcopus Roffensis initio etiam sui operis contra assertionem articulorum Lutheri; Doctores Colonienses in examine Catechismi Monhemiani, in reprehensione sexti Dialogi; Petrus Canisius in suo Catechismo de præceptis Ecclesiarum, & Gulielmus Lindanus libris quinque suæ Panoplia; Ioannes à Lovanio in lib. de inuocatione Sanctorum, cap. 23. 24. & 25. Felicianus Ninguarda in assertione fidei Catho-

Catholicæ; Gaspar CARDILLVS Villalpandæus in libello de Traditionibus.

Ex hereticis præcipue contra traditiones scripserunt Ioannes CALVINVS lib. 4. Instit. cap. 8. §. 6. 7. 8. & cap. 10. §. 18. 19. 20. & in antidoto ad sess. 4. Concilij Tridentini; Ioan. BRENTIUS in suis Prolegomenis contra Petrum à Soto; Martinus KEMNITIUS in lib. quem inscripsit, Theologæ Iesuitarum præcipua capita; & prolixissimè in examine Concilij Tridentini examinans decretum de Traditionibus, quod habetur sess. 4. & quidam Hermannus HAMELMANNVS, qui nuper edidit ingens volumen contra traditiones, quod diuisit in tres libros Prolegomenorum, & deinde in tres partes operis præcipui, quarum quælibet multos libros habet.

CAP V T II.

Quid sit, & quotuplex traditio.

OMEN traditionis generale est, & significat omnem doctrinam sive scriptam, sive non scriptam, quæ ab uno communicatur alteri. Exodi 17. Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade in auribus Iosue. Act. 6. Lex Mosis scripta vocatur traditio. Audiimus eum dicentem, quoniam IESVS destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moses. At 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis. Traditio vocatur doctrina viua voce exposita; & 2. Thess. 2. Tenete traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per epistolam.

Tametsi verò traditionis nomen generale sit, tamen hoc ipsum nomen accommodatum est à Theologis ad significantiam tantum doctrinam non scriptam. Sic IRENAEVS lib. 3. cap. 2. Euenit, inquit, neque Scripturam, neque traditioni consentire eos. TERTULLIANVS lib. de corona militis: Si legem, inquit, postules, Scripturam nullam inuenies, traditio tibi pratenditur autrix, &c. CYPRIANVS lib. 2. epist. 3. Admonitus autem nos scias, Et in calice Domini offerendo Dominica traditio seruetur, Et calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus Vino offeratur. Quem locū falsò Kemnitius exponit de traditione scripta. nusquam enim in toto Euangelio aut epistolis Apostolorum scriptum est, vt calix mixtus

T 5

vino,